



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# **Vniversalis Historiæ Ecclesiasticæ Medvlla**

**Pareus, Daniel**

**Francofurti, 1633**

Theologi Et Testes veritatis præcipui.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64973](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-64973)



Turcarum Imperat. ab obsidione Belgradi repulit: paulo post in Hungaria diem suum obiit, Anno 1456. Videatur Æneas Sylvius, Hist. Bohem. cap. 65.

Iohannes de Turrecremata, Ordinis fratrum Prædicatorum, Episcopus Sabinensis, claruit anno 1460

Nicolaus Cusanus Cardinalis, & Episcopus Brixienfis, floruit anno 1440. Refutauit vanitatem donationis Constantini, & alios Pontificios errores, in libris de Concordia Catholica. Suo seculo, ob literarum cognitionem, propemodum pro miraculo mundi est habitus. Fuit enim Theologus, Rhetor, Mathematicus, & Philosophus insignis. Obiit Romæ anno Domini 1464. ætatis 63. Futuram religionis mutationem ante mundi finem, prædixisse dicitur.

Gabriel Biel, Germanus, Theologus doctissimus, & inter Sententiariorum scriptores præcipuus, in Tubingensi Academia obiit, anno Domini 1495.

Ioannes de Lapide, Cartusianus, doctrinam de realibus Lutetia Basileam attulit, circa annum Christi 1496.

## THEOLOGI ET TESTES

veritatis præcipui.

**I**N tanta caligine, nihilominus multi inuenti sunt singulis ætatibus, qui diuinitus oblata luce veritatem perspexerunt, & seruire Pontificis



ficis iugum à ceruicibus suis repellere conati sunt.

Petrus Waldus, Lugdunensis ciuis doctus, & prædiues fide atque opibus, circa annum Domini 1160. crescentes doctrinæ deprauationes auersatus miranda occasione, (de qua Catalogus restium veritatis videatur) sacerdotum superstitionibus & tyrannidi sese opposuit, & errores indicauit atque refutauit. Ab eo dicti Waldenses, qui se Waldo adiunxerunt. Pulsi Lugduno in variis Gallix partibus, præsertim in Narbonensi prouincia, atque citeriore Gallia, quam Lombardiam vocant, confederunt. In Germaniæ quoque Marchia & Austria cœtus aliquando habuerunt. Inter articulos eorum, de Sacramentis hi duo referuntur. 1. *Tantum duo esse Sacramenta, Baptismum & Communionem.* 2. *Omnes Missas, & præcipue eas, quæ pro mortuis canuntur, esse impias, eoque abolendas.* Refert etiam Sleidanus, non modo articulos Waldensium Francisco II. Regi Galliarum exhibitos, sed & immanem aduersus eos Pontificiorum crudelitatem ad Merindolam, in historiam anni 1545. Videatur etiam Petri Wessenbecii, IC. celeberrimi, Oratio de Waldensibus & Albigenibus Christianis, Ienæ publice habita, Anno 1585. & Iac. Aug. Thuanus, Histor. lib. VI. cap. 26. fol. 168. 169. 170.

Ne sim longior, alios prætereo veritatis testes: & venio ad tempora Wiclefi.

Incor



Inter alios veritatis testes præcipue Iohannes Wiclefus, Angliæ Theologus, & in omni Philosophiæ genere non minus, quam in S. Theologia exquisitè versatus, suo seculo fuit celebris. Is in Angliæ Academia Oxoniensi Pontificios errores professione & scriptis refutare cœpit, Anno Domini 1371. Ex eius scriptis aduersarii excerpserunt varios articulos, partim integros, partim calumniis detortos, quos postea Concilium Constantiense damnauit: in quibus articuli de Eucharistia etiam recitantur. Atque hanc quidem Wiclefi doctrinam, ex Augustino & Orthodoxa vetustate, ipsaque scriptura sacra repetitam, Romani Pontifices per Episcopos Anglicanos variis Conciliabulis oppugnabant, ipsumque Wiclefum hæreseos damnatum, & eiectum in exilium hostiliter persequabantur. Nihilominus is diuinitus seruatus, & restitutus suæ Ecclesiæ, priorum Principum, ac præcipue Iohannis Lenclæstriæ Ducis auctoritate, tandem in constanti professione veritatis, diem suum placide obiit, anno Domini 1387. Mortuum sæpius anathemate percusserunt, tandemque anno 1428. Martini Pontificis iussu refossum concremarunt, ac libros eius exusserunt: verum doctrinam eius opprimere non valuerunt. Exstat quidem à Monacho quodam mercenario, Wilhelmo Widefrodo, conflata articulorum eius refutatio, sed elumbis & barbara.

Nec multo post in Bohemia publice iterum defensa & propagata fuit in Wiclefo damnata.

veri-



veritas à Iohanne Husso, & Hieronymo Pra-  
 genfi, Doctoribus ac testib. veritatis constan-  
 tissimis; tandemque, vtriusque sanguine obli-  
 gnata. Vocati hi à Concilio Constantiensi ad  
 dicendam causam, cum saluo conductu Impe-  
 rii, sese confessui Patrum stiterunt. Cum vero  
 doctrinam veritatis Constantiæ constantes  
 tuerentur, inaudito perfidiæ exemplo, vterque  
 damnati, & flammis exusti fuerunt. Iohannes  
 quidem Hussus, contra saluum conductum ab  
 Imperatore Sigismundo datum, primum in do-  
 mo Cantoris Constantiensis Ecclesiæ, à primo  
 ad octauum vsque Decembris, anno 1414. sub  
 arctissima armatorum custodia fuit. Inde in  
 monasterium Prædicatorum ad Rhenum per-  
 ductus, & carceri eius monasterii, ipsi latrinæ  
 (sit honos auribus) proximo mandatus est: in  
 quo cum infestissima hyeme aliquandiu deli-  
 tuisset, incidit ex loci iniuria in grauissimam  
 febrim, adeo, vt de vita eius desperatum esset.  
 Ne vero in ipso carcere vulgari mortis genere  
 periret, attribuit ei Pontifex Romanus aliquot  
 ex suis Medicis, qui eum curarent. In hoc fæ-  
 tidissimo carcere vsque ad diem Mercurii pro-  
 ximum ante diem Palmarum, anni 1415. (quo  
 die Iohannes XXIII. Papa clam habitu mura-  
 to Constantia se subduxit atque aufugit) h. e.  
 totos 114. dies detentus fuit. Cognita vero Pa-  
 pæ fuga, Cæsar & Cardinales, de sententia Con-  
 ciliij, tertio carceri Episcopi Constantiensis  
 Hussum manciparunt, qui per satellites arma-  
 tos curauit eum non procul à Constantia trans  
 Rhe-



Rhenum in arcem quandam deportari: ubi in turri quadam interdum compedibus vinctus incedere poterat; noctu vero manica ferrea iuxta lectum parieti est alligatus, vsque ad diem martyrii, qui fuit 6. Iulii, Anni 1415. quo rogo impositus & crematus est. In saluo itaque conductu Imperatorem Sigismundum Husso prohibuisse fugam sub pœna capitis, Hussum au fugisse, ex fuga retractum, in carceratum, iureque damnatum fuisse; impudens mendacium est, ad tegendam Concilii Constantiensis perfidiam & crudelitatem inuentum; quod primus Historiæ inseruit Nauclerus, Gener. 48. ex quo Cochlæus, Molanus, Becanus, & alii Iesuitæ hauserunt. De fide Husso violata grauiissime conquesti leguntur Domini Bohemi, in supplicatione sua ad Concilium, 14. Maii, 1415. Etiam Vniuersitas Pragensis præclaro Hussum testimonio ad Concilium ornasse, & de saluo conductu contra omnia iura violato, grauius conquesta esse in Actis legitur. Ipsum denique Hussum fidem in Imperatore Sigismundo sæpius desiderasse, literæ eius testantur.

Hieronymus Pragensis, Husso secundo adhuc carcere detento, sponte, non vocatus, ad defensionem veritatis venit Constantiam, 4. April. Anno 1415. Ibi cum sibi insidias strui intelligeret, postridie Iberlingam se recepit, oppidum Imperii Constantia non amplius vno milliari distans, ne se sciens ac prudens periculo obiiceret. Indeliteris ad Imperatorem Sig-

Q

gif-



gismundum, & Concilium datis, saluum conductum sibi dari petebat, vt libere sibi Constantiæ causam dicere, atque aduersariis respondere liceret. Renuit Imperator. Concilium saluum conductum à violentia, salua (vt loquebantur) iustitia, h. e. potestatem veniendi, sed non redeundi, manifesto præiudicio, ei per citationem 17. April. decreuit, sed nec significari, nec insinuari curauit. Cum Hieronymus nihil proficeret, impetratis saltem à Bohemis proceribus literis de sua innocentia, in Bohemiam reuerti statuit: in itinere vero ab hostibus interceptus, Constantiamq; missus fuit in carcerem. Postulatus, cur fugisset, in ius vocatus non venisset? respondit: *Quando nec ab Imperatore, nec à vobis extorquere potui fidem publicam, quemadmodum Baronum ad me scripta testantur: atque etiam hic mihi infestissimos esse hostes sensi: cedere visum fuit, ne temere solus, & non vocatus, tantum discrimen subiisse viderer. Sed si mihi aliquid de vestra citatione significatum fuisset, proculdubio me haud piguisset vel è Bohemia Constantiam proficisci.* His dictis ingens Sacerdotum mox aduersus eum ortus tumultus, postque modicam actionem exclamatum: *Exiit hominem.* A licitoribus igitur in fœdissimum carcerem tractus, cum (Poggio Florentino teste) rotos 340. dies inter squalores & sordes in eo tantum non contabuisset, causamque nihilominus cum hostium stupore dixisset, tandem nefarie damnatus fuit, atque exustus, 30. Maii, Anno 1415. non aliquot diebus post Hussum,



vt scribit Martinus Becanus, historiam ignorans, vel deprauans: sed integro prope anno. Vacillauit Hieronymus quidem terrore mortis, vt cum Petro Christum negaret, cum Paulo neci Iohan. Hussi subscriberet: sed cum vtroque mox resipuit, vitamque & sanguinem pro Christi gloria fortiter profudit. De Hieronymi obitu & supplicio videatur Poggii Florentini ad Leonhardum Aretinum Epistola: huiusque ad illam responsio, & Sleidanus lib. III.

Quamuis autem cineres Hussi & Hieronymi, ne vltionem exposcerent, à carnificibus in profluentem Rheni fuerint proiecti: tamen non multo post Clerus, qui necis Martyrum architectus exstiterat, per vniuersam Bohemiam, & vicinas prouincias, vindicem Dei manum horribilibus exemplis experiri, multoque suo sanguine innoxiiis manibus litare coactus fuit. Eadem Nemesis etiam Imperatorem Sigismundum, Bohemorum Regem, & Imperii Proceres, stupendis modis est persecuta, quorum potentissimos exercitus ad delendos hereticos, vt ferebantur, Hussiticos, variis vicibus, variisque locis ac partibus Bohemiæ simul infusos, exigua Hussitarum manus, non modo ad miraculum intrepida sustinuit; sed auxiliatrice Dei manu quasi cœlitus porrecta, mox Panico exanimatos terrore, in turpem fugam adiegit, mox vltore gladio horribilibus cladibus affectos concidit, magnaque parte deleuit. Testis Æneas Syluius in Historia Bohemica, cap.



54.57.58. Tantum videlicet Martyrum innoxiorum cineres Rheno demersi potuerunt.

Etsi autem Hussus præcipue Transsubstantiationis errorem, & Sacramenti mutilationem oppugnauit contra Pontificios: de Eucharistiae autem doctrina, & controuersias alias disputando in Bohemia nondum attingerat, quas olim in Anglia Wiclefus mouerat: tamen de eius consensu cum Wiclefo nullum est dubium. Nam, teste historia, omnes articulos Wiclefi vel approbavit, vel non erroneos iudicauit. Et ideo inter articulos Hussi à Concilio damnatos etiam is fuit, quod esset sectator Wiclefi, & condemnationem articulorum à Concilio factam iniquam pronunciaret.

Hussi doctrinam retinuerunt in Bohemia & Morauia Ecclesiae, quas Fratrum Bohemicorum vocant. Vulgus odiose Picardos appellat, sed falso. Nam teste Ænea Syluio, Hussitis parum propitio, in Hist. Bohemica, cap. 41. fædam, h. e. Adamiticam Picardorum sectam, à Picardo siue Pegardo quodam ex Gallia, Belgica in Bohemia disseminatam, Ziska, Hussitarum Dux fortissim<sup>o</sup>, interneccione vno die concidit, funditusque deleuit. Sunt igitur Fratres Bohemici, germani Hussi discipuli. Post mortem enim Hussi Ecclesiae Hussiticæ, quæ abiecto Pontificis iugo in Vrbe Pragensi, & passim in Regno Bohemæ, maxime vero in oppido Tabor recens constructo, (vnde Taboritarum nomen acceperunt) sedes habebant, aduersus Pontificiorum violentiam atque oppressionem ali-



aliquandiu se, Duce Ziska, non sine multis Dei miraculis defenderunt. Victoriæ enim Ziskæ, & Successorum, Pontificem Romanum Basiliense Concilium cogere coegerunt, ad quod Bohemi euocati, Duce Procopio, vna cum M. Rokezana, Hussita, viro diserto, sed ambitioso, & Archiepiscopatum Pragensem affectante, in Papæ verba per omnia iurarunt, ea saltem conditione, vt ipsis in Eucharistia vsus calicis & sermonis vernaculi, nec non coniugium sacerdotum permitteretur, quæ Bohemi hodie Compactata vocant. Istam suorum defectiorem à doctrina Hussi cum Hussitæ reliqui domini ægre ferrent; itum est in partes, & schismate facto Magistri quidem Pragenses cum suis sectatoribus dicti fuerunt Calixtini, qui ex doctrina Hussi præter vsum calicis vix aliquid reliquum habent: In cæteris Pontificiorum ritus, superstitiones & errores, contra quos disputando Hussus sanguinem profudit, prorsus tuentur, Hussi spuria proles, quantumuis solos se Hussitas esse gloriantur. Alii vero deserta Praga Taboritarum nomen vulgò adepti, calicem & cætera vniuersa Hussi retinuerunt, *υψηλοισι* quoad fidem Hussi discipuli, licet tunc necessitas plærosque cogeret magis esse militares, quam probos. Sed hi tam Calixtinorum quam Pontificiorum mutuo conspirantium infestissimis odiis, direptionibus, atque armis perpetuo expositi, non multo post ab iisdem partim vi cæsi sunt, partim fraudibus oppressi. Ex horum clade, quæ superstitēs manserunt reliquæ,



fuerunt Fratrum Bohemicorum Ecclesiæ, quæ non armis, sed doctrinæ vacantes paulatim fermento, quod reliquum erat, Papali expurgato, etiam rituum priscorum simplicitatem cum disciplina strictiore receperunt, ac variis fortunæ procellis iactatæ ex Bohemia tandem in vicinam Morauiam, indeque in Poloniam atque Borussiam sese propagarunt. Horum Fratrum Bohemicorum Confessio cum Apologia de omnibus fidei articulis, & de Eucharistia, pia, Orthodoxa, & ingenua, exstat ad Vladislauum Regem Anno 1507. & ad Ferdinandum Regem anno 1535. scripta. Legatur Cl. V. Ioachimi Camerarii Pabepergensis, Historica Narratio, de fratrum Orthodoxorum Ecclesiis, in Bohemia, Morauia, & Polonia.

Fuit quoque tunc temporis Hussi socius Petrus Dresdensis, Scholæ Pragensis moderator, qui Anno 1410. primus sub vtraque specie corpus sanguinem Dominicum ministrandum esse profitebatur, Ecclesiam inscitæ insimulans, quæ sub vna tantum specie sumendum esse edixerat. *Æn. Sylu. cap. 35.*

Hieronymus Sauonarola, Ferrariensis, Monachus Dominicanus, Concionator celeberrimus, communionem sub vtraque specie defendit, indulgentias damnauit: Papæ, Cardinalium, omniumque spiritualium turpem sceleratamque vitam, & officii neglectionem grauissime est accusare solitus: Negauit etiam primatum Papæ. Claves docuit Ecclesiæ toti, non vni Petro traditas. Adhæc Papam nec vi-

ram



ram nec doctrinam CHRISTI retinere dicebat, qui plus suis indulgentiis & traditiunculis, quam CHRISTI merito tribueret. Afferuit quoque, Papæ excommunicationes timendas non esse. Prædixit item futura quædam; nempe vastitatem Florentiæ, & Romæ, atque tandem instaurationem Ecclesiæ. Itaque acerbis quæstionum cruciatibus excarnificatus, iussu Alexandri VI. Pontificis Romani, vna cum duobus sociis, Syluestro Florentino, & Dominico de Pisis, Ordinis Prædicatorum, Florentiæ laqueo suffocatus & crematus est, Anno Domini 1498. 23. Maii, ætatis 46. A Iohanne Francisco Pico Mirandulano, & Marsilio Ficino, scripto contra Papam defensio, & tanquam Propheta celebratus est. Defenderunt & alii quidam docti viri Sauonarolæ eiusdem innocentiam. Philippus Cominæus lib. III. de bello Neapolitano, recitat suum cum Sauonarola colloquium, & vaticiniorum eius meminit. Item in fine libri V. de Hieronymi extremo supplicio.

SYNODI CELEBRATÆ SVB HENRICO IV. Imp. & aliis, vsque ad tempora  
Caroli V.

**A**Nno 1059. Romæ sub Nicolao II. Papa Concilium Lateranense celebratum est, in quo Berengarius Turonensis suam sententiam de Eucharistia reuocauit, ea verborum

Q 4 for-